


**Rectore Academiae. Magnificentissimo Serenissimo. Principe. Regio Friderico. Avgvsto De Feminis.  
Prima. Aetate Ervditione. Ac. Scriptis Illvstr. Et. Nobil.**

## **Priorem. Dispvationem.**


Vitembergae: Gerdesianus, [1703]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830126953>

Band (Druck) Freier  Zugang









*B6-1053<sup>1-31</sup>*



Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis

2.

3.

4.

7.







29

26

RECTORE  
ACADEMIAE. MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO. PRINCIPE. REGIO*  
FRIDERICO. AVGVSTO  
DE  
FEMINIS. PRIMA. AETATE  
ERVDITIONE. AC. SCRIPTIS  
ILLVSTR. ET. NOBIL.

PRIOREM. DISPVTATIONEM. EXHIBENT  
*PRAESES*

M. DAVID. SCHVLTETVS  
HAMBVRG.

ET  
RESPONDENS  
IVSTVS. HENRICVS. LANGSCHMIDIVS  
HANNOVER.

*ANNO. c1o 1000. III. NON. MART.*

---

VITEMBERGAE. PRELO. GERDESIANO



RECTOR  
ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS ELECTORIS  
FRIDERICO AVGVSTO  
DE  
FEMINIS PRIMA AETATE  
PRIVATIONE AC SCRIBITIS  
ILLVSTR. ET NOBIL.  
PROBEM DISYLLATIONEM EXHIBENT  
FRANCO  
M. DAVID SCHVLTZVS  
HABVRO  
RESPONDENS  
IVSTVS HENRICVS LANGSCHMIDVS  
HANNOVER.  
ANNO. MDCLXXIII. NOM. M. CLXXIII.  
MEMBERNAE PRESSO GERBESIANO



CLARISSIMO. NOBILISSIMOQUE  
DN. RESPONDENTI  
S. P. D.  
PRAESES

**I**nuidia certe minime caret *Pharezdakii*,  
Poetae inter Arabes haud contemnendi, effa-  
tum, cum carmen quoddam, a muliere con-  
fectum, uidisset atque perlegisset, *Gallina galli*  
*cantum cum imitatur, uiguletur.* Nam nulla nos  
cogit necessitas, ut feminas, quibus optimum con-  
tingit ingenium, a literis arceamus. Possunt et mu-  
lieres literas excolere, et suum illis animum eru-  
dire. Nouerunt enim omnes, palmam eruditionis  
in medio esse positam collocatamque, ac sexui ob-  
uiam utrique, ita, ut qui molliorem uellet exclude-  
re, uim ei inferret. Veteres perspectum satis co-  
gnitumque habebant, Virgines eadem cum pueris  
addiscere exercitia posse. Hinc *Plato*, rationi et  
ueritati consentaneum esse censet, affirmare, puel-  
las easdem posse capeffere disciplinas, quibus, ad  
arma tractanda, et militiae laborem sustinendum,  
summopere est opus, neque dubitat, quin illud in  
usum et consuetudinem adduci possit, si lege fan-  
ciatur. Hoc tamen inficiari non possumus, femi-  
nas, humili, si Viros spectemus, intellectu esse in-  
structas. Gratias inde summas Deo egit *Guido*,  
five quod idem est, *Vitus Patinus*, Facultatis  
Medicae Parisiensis Doctor, et Regii Professor Colle-  
gii,



gii, quod Vir, non femina esset natus. Et nullus a nobis in eo dissidebit, qui secum reputabit, illas *αὐθεντέσθερον σπῆνος* a Spiritu S. nominari. Enimvero humile hoc feminarum ingenium, non prohibet, quo minus optimos in literis progressus facere non possint. Consentis in eo mecum, *Vir Nobilissime ac Eruditissime*, eandemque mecum foves sententiam, ita ut operam nauarem inutilem, si pluribus de eo Te reddere uellem certiozem. Testantur hoc rostra nostrae Academiae publica, pro quibus summa cum laude, summoque cum applausu omnium, illud defendisti ac exposuisti, testantur id omnes qui praesentes affuerunt, Tuamque in differendo subtilitatem admirati fuerunt. Quapropter gratulor Tibi potius, de felici Tuo in studiis progressu, nec Tibi solum, sed Summe Reuerendo Tuo Parenti, Viro, eruditione, pietate atque dexteritate, omnibus quam notissimo, de illo itidem gratulor. Seruet autem Te DEVS immortalis diu saluum atque incolumem, studiisque Tuis porro diuina adsit clementia, ut spem bonorum omnium implere ac superare possis. Seruet idem ille DEVS, Summe Venerandum Parentem Tuum, in gaudium totius Ecclesiae, ut habeas et Tu, quem imitari, cuiusque insistere uestigiis diutius possis. Nam quae *Plinius ad Genialem l. VIII. epist. 13.* scripsit, eadem et Tibi dicta esse, arbitrare: *Vides quem sequi, cuius debeas implere uestigia. O te beatum! cui contingit uiuum atque idem optimum et coniunctissimum exemplar; qui denique eum potissimum imitandum habes, cui natura esse te similitimum uoluit.* Vitemberg. in Sax. A. clj ccIII. D. XIII. Mart.





DEO SECYNDANTE!

§. I.



Llis, qui studium urgent antiqui-  
tatis, latere minus potest, omni  
aetate Virginum custodiam curam-  
que fuisse summam. Noue-  
rant enim Veteres, illas ἀδελ-  
φές τερον σκεῦος esse, uti etiam Spiritu  
S. audiunt, 1. Petr. III, 7. Hinc

Graeci suas in publicum Virgines prodire non permit-  
tebant. Ita namque *Menander* apud *Stobaeum*,  
*Serm. LXXII*,

ἐνδον κένισσαν τὴν γυναῖκα εἶναι χρῆσθαι  
ἐσθλὴν, θύρασι δ' ἀξίας τῆ μηδενοῦ.

Quod ita liceat interpretari:

*Intus manere mulierem oportet*

*Bonam, egredientes autem foras nullius sunt precii.*

Nec obstant hic γυναικῶν ἐξοδοί, nam perspectum satis  
cognitumque est, illas nihil aliud, quam profectioes  
quasdam ad ducendam pompam, fuisse, cum muliebris  
cuiusdam supplicii genus esset, expertem muliebrium  
degere honorum, nec ad nuptias partusque puerorum  
peruenire, uti ex *Suida* patet in voce ἀμιλία. Romani,

A 2

Numa



Numa imperante, suas etiam in publicum progredi non patiebantur. Hinc *Tacitus l. XIII. Annal.* laudat Sabinam Poppaeam : *Rarus, inquit, eius in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret adspectum, vel quia sic decebat.* Quid? quod interdicebant illis, tempore etiam Romuli uino, quod crederent, temulentia mulieres ad uarias accendi libidines. *Vidd. hoc de interdicto Dionys. Halicarnasf. l. II. Antiquitt. c. XXVI. Valer. Max. l. II. c. I. et l. VI. 3.* atque alii plures. Ita et Iudaeis in more erat positum, uti Virgines illorum domi quasi concluderentur. Inde *2. Maccabaeor. III. 9. uirginum concludarum, κατακλειστων*, mentio iniicitur, quod *Glossa ordinaria* ita interpretatur : *Virgines, quae conclusae erant, i. e. de domibus Parentum non exibant.* Pluribus qui hac de custodia cupit erudiri, elegantes adeat *M. Ioan. Phil. Pfeifferi dissertationes, de Cura Virginum apud Veteres* Ao. 1672 Regiomonti habitas, et in *Syntagmate Primo dissertation. Philologicar. Roterod. 1699. 8<sup>vo</sup>.* recusas, atque alios scriptores non paucos.

§. II. Haud minor quoque cura fuit plurimorum, ut, quemadmodum pueros, ita et puellas, in continuo retinerent exercitio rerum, ipsis conuenientium. Sic Spartani corpora illarum exercebant cursu, lucta, discorum telorumque iactu, certisque solennibus saltabant et canebant, astante etiam inspectante iuuenum turba. Quod, cum aliquando pro concione narrasset *Chrysostomus*, apud Lacones, Virgines nudas in conspectu Virorum luctas subiisse, concio, foeditatem rei auersata, magnos



magnos edidit clamores. Ornauit eo populum laudibus, diuinus ille Vir, his usus uerbis: πολλά ὑμῖν γένοιτο αἰγάθα, ὅτι εἰδὲ τὸ πῆμα ἀἰῶσαι φέρετε. *Omnia uobis bona eveniant, quod ne nomen quidem ipsum audire sustinueritis,* uti id ex *Graenii T. VI. Thesauri Antiquitat. Romanar.* adducit *Ludou. Neocorus Biblioth. nouor. libbr. n. 97. p. 22. fin. sequ.* Enimuero nihil obscœni huic delectationi inerat, cum eaque coniunctus erat rubor, et aberat libido, ut *Plutarchus* loquitur in *Lycurgo*. Quid puellis, Christi sacris initiatis, conueniat, ostendit *Ioan. Ludou. Vines,* in elegantissimo suo *de Femina Christiana* libello, idque *l. i. c. III.* Num uero studium illis conueniat literarum, solet alioquin uenire in disceptationem. *Balsacius* Vir summus, noluit ducere mulierem eruditam, unde et apud *Vockerodium* *Introduct. in Societat. Literar. Sect. 2. c. 2. §. 1.* scribere audeat, *se malle habere uxorem barba ornata, quam talem, quae sit erudita.* Ioannes V, Dux Britanniae, apud *Cheuraeum* in *Cheuraeanis T. i. p. 192.,* eam demum mulierem admodum esse sapientem existimat, quae nouerit, quid differentiae sit inter thoracem et indusum uiri. Iuuat utique illa de re quaedam hoc loco mone- re, ut, quaenam sententia sit nostra, B. L. constet.

§. III. Nobis, si dicendum quod res est, asserendum uidetur, haud arcendum quidem esse sequiorem sexum a literis, omnes tamen promiscue ad eas adhibendas non esse, sed illas tantum, quae singulari praeditae ingenii acumine, nec domesticis inuolutae negotiis, sed potius subsidiis, ad rem literariam spectantibus,



abunde sunt instructae. Nam uti nec omnibus uiris, sed ingeniosis maxime, conuenit, literarum studiis incumbere, cum in societatem humanam plurima inde fluant incommoda, si promiscue illi ad literas admo-ueantur, ita nec erit consultum, feminas omnes, literis consecrare. Nolo iam de eo disquirere pluribus, An per naturam colere studia mulieres possint, cum anima ipsarum, qua instructae sunt, rationalis, ea de re dubitare me quidem non permittat. Nam quae *Auctor dissertationis, Verum mulieres sint homines?* in medium affert, ut, monstra eas esse, probet, obiici mihi nequeunt, cum eadem penes me sententia sit, quam, quae *B. Placcio*, Praeceptorum quondam meo, omni laude maiori, fuit, asserenti, hoc scriptum non ex animi sententia, sed ioci ergo Auctori effluxisse suo, *de Scriptis atque scriptoribus anonymis, num. CCLXII. p. 72.*, cumque insuper *D. Simon Gediccus, Theologus*, hoc iam tum refutauit. Illud tamen mihi uidetur ueritati consentaneum esse, nullam, ne unicam quidem, dari posse aut suppeditari necessitatem, quae, feminarum urgent studia, latentium parietes intra priuatos. *Salomo* certe *Prouerb. XXXI.* qui sub nomine latet *Lamuelis*, (siue id exinde, quod mater, cum a teneris haec eum docuisset, blanda appellatione illum uocauerit *Lamuelem*, quem admodum matribus in usu est, uti quodammodo nomina liberorum inflectant, id quod *Polus* uult, *Commentario in b. l.* siue aliis ex causis id factum,) feminam describens optimam, nullam iniicit, ne minimam quidem,



dem, mentionem, progressus eius in literis. Nam quae V, 26. habentur : פִּיהָ פְּתוּחָהּ בְּחָכְמָהּ וְתוֹרַת-חֵסֶד : על-לְשׁוֹנָהּ : *Aperuit os suum sapienter, et lex clementiae uersatur in lingua eius*, huc non sunt trahenda. Describit enim ibi feminam, quae nec garrula est, uerum praemeditato cuncta effatur. Ita *B. Geierus, Comment. in Prouerb. p. 1654.* Nimirum neque muta est haec nostra, neque etiam garrula, uerum praemeditato loquitur, grauitate, circumspecte, et quidem in sapientia, i. e. sapienter, ita, ut tam materiale, quam formale sermonis, redoleat sapientiam, ut obiectum sermonis non sint nugae, scurrilia, obscena, detractoria, aut alioquin turpia, uerum pia, honesta, graua, salutaria; de quibus loquitur secundum praescriptum DEI, hominumque laudatorum, dispiciendo, quid conueniat loco, tempori, personis audientibus, abstinendo a iactantia, procaci dicacitate, vociferatione, caeterisque sexui illi uitis consuetis. Viris prouida natura praescripsit, ut literis animum erudiant suum, contra feminas, cum intellectu praeditae sint humili, ad eorum acumenque ablegauit, et ut illas tantummodo suscipiant curas, quae prospiciendae familiae possunt inferuire. Quae autem feminae illos ab natura sibi praescriptos limites transiliunt quis est, qui, infirmo eas, nec summo potius atque acuto instructas esse ingenio, praedicare ausit?

§. IV. Neque expedit uero semper, animum ut feminae ad literas appellent. Nam saepissime, ac tantum non semper, experientia testis est, eas, quae literis operam dederunt, uitium incurrere *ερεπδοξίας*. Pluribus id confirmare possem exemplis, nisi scirem, haud ita necessariam nauare me operam, in re omnibus perquam



quam nota. Ita Romanorum quoque tempore factum esse, reperimus. Puellae quidem literis destinabantur, sed illis uel ad amores, uel delicias, abutebantur, notante *Lipſio ad Senec. Conſolat. ad Helu. c. 16. n. 19. Athenaeus apud Menagium, Hiſtor. mulier. Philoſ. p. m. 37. edit. 8.* notat, *Meretrices Graecas pleraſque humanioribus literis et Mathematicis diſciplinis operam dediffe.* Oritur autem hoc uitium ex imbecillitate iudicandi, quia, quae bona, quae optima, quae item peſſima ſunt, in rebus literisque ſacris diſcernere nequeunt. Hinc, quae noua, quae ſpecioſa quodammodo ſunt, felicius plerunque ab illis arripiuntur, quam illa, quae ueriora ſunt et antiquiora. Hinc, et haereſiarchae, primo omnium in ſuas feminas trahunt ſaeppiſſime partes. *Simon Magus*, ſociam ſibi ſcleris aſciuerat *Helenam* ſuam. *Montanus*, *Priſcillam* et *Maximillam* in ſuum pertraxerat errorem, ſe *Paracletum*, illas *Prophetiſſas*, iactans. Hodierni etiam *Fanatici*, ſub *Pietatis* nomine latentes, feminas, quas *precationum ſocias* (*Bett-Schweſtern*) uocant, ſuis immiſcent collegiis, quas tamen meliori ſaepe iure, *ſocias lecti*, (*Bett-Schweſtern*) appellares. Quapropter uel ex his etiam liquet, confirmato illas iudicio debere eſſe inſtructas, quae in literis uerſari, iisque ad promouendam DEI gloriam uti, exoptant.

§. V. Quod ſi iam de ſcopo et fine, quem feminarum ſpectant ſtudia, loqui uelimus, fateamur, neceſſe erit



erit eum esse nullum, nisi hunc forte, ut tranquillitatem acquirant conscientiae, nec ingenium, quod nactae fuerunt summum, ad excogitanda ea, quae DEVS detestatur, applicent, neque otio tranfigant uitam. Notissimum quippe illud est, ad docendi munus, in Ecclesia, admitti eas modo posse nullo. Reperiuntur equidem inter Pontificios, qui contrariam tuentur sententiam. Ita *Diana* contendit, feminis, si eruditione et sapientia praestent, munus docendi publice, concedi posse, *Part. XI. Opp. Moral. T. 3. Miscell. resolut. XXV. p. 144.* ita *Alloza*, *Alphab. Moral. p. 121.*, feminas a sacris confessionibus esse, permittit. At illis opponimus Apostolum, diuinae uoluntatis accuratissimum interpretem, qui hac de re ita profatur, *I. Cor. XIV, 34. Mulieres vestrae in Ecclesiis sileant, nec enim permissum est illis, ut loquantur, sed ut subditae sint, quemadmodum Lex dicit. Et, I. Tim. II, 12. Mulieri docere non permitto.* Quod de *Diaconissis* afferunt, huc non spectat, cum constet, non docendi eas, sed administrandi gratia, in Ecclesia adhibitas fuisse, id quod uel ex *Constitutionum Apostol. l. 8. c. 28*, liquet. Verba haec sunt: *Diaconissa non benedicit, neque facit aliquid eorum, quae Presbyteri aut Diaconi faciunt, nisi quod ianuas custodit, et Presbyteris ministrat, cum mulieres baptizantur, idque propter decorum et honestatem.* Plura qui de *Diaconissis*, earumque officii edoceri cupit, adeat Summi Icti, *Casp. Ziegleri, Comment. de Diaconis et Diaconissis Veteris Ecclesiae, c. XIX.*

B

p. 347.



p. 347. seqq. Noui equidem, oblici nobis *Episcopissas*, quae uerbum diuinum publice docebant, poenitentes absoluebant, Sacramenta administrabant, et alios rursus ordinandi potestatem possidebant. Enimuero, tales duntaxat haereticorum, *Quintilianorum* scilicet et *Priscillianorum* admistae erant turbae, non coetui τῶν ὀρθοδόξων, penes quem *Episcopissarum*, non officii, sed honoris tantummodo nomen erat, uocabanturque ita Episcoporum mulieres, notante *Magnif. Dn. D. Mayero*, Gryphiswaldensium Theologo summo, Praeceptore meo, meorumque adiutore studiorum, omni obseruantiae cultu, nunquam non prosequendo, in sua, *de Episcopissis Veteris Ecclesiae*, dissertatione. Quid? quod affirmant nostrates Theologi, feminis neque illam concedendam esse licentiam, ut ausu priuato libros sacri argumenti scribant, sed praescitu semper, consensu et censura, ordinariorum DEI Ministrorum hoc fieri debere. Vid. aurea uere *Synopsis controversiarum, sub Pietatis praetextu motarum*, Summi *Schelguigii*, p. 266.

§. VI. In foro plurima illis itidem interdicta esse, uel ex leg. foeminae 2. ff. de regul. iuris constat: *Foeminae ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotae sunt, et ideo nec iudices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices existere.* Et, quemadmodum mulieres in Republica bene constituta scholis nec possunt, nec debent, praefici, iuxta illud *Joan. Ludou. Vinnii, de Institut. Christianae foem. c. 4. p. m. 197.*



non convenit nostris moribus, foeminas praefici scholis, atque inter viros agere, aut loqui, aut verecundiam pudoremque, vel totum vel magna ex parte deterere primum, hinc paulatim excutere, cum alios docet. Quam, si proba sit, domi sedere potius, et aliis incognitam esse convenit, in coetu vero demissis oculis pudibundam tacere, ut videant quidem eam sane nonnulli, audiat nemo; ita neque gradu sunt Academico ornandae. Proferri quidem exempla possunt, uerum pauca sane, quae insignia Doctoris uel in Theologia, uel Philosophia, petierunt, atque etiam impetrauerunt. De *Piscopia* constat, illam An. 1678. d. 25. Iun. in Academia Patauina Doctoris Philosophiae honores accepisse. Vid. *Funckeri*, *Centur. feminar. erudit. et scriptis illustrium*, adiecta eius, de *Ephemeridibus eruditorum Schediasmati*, p. 114. Simile quid de *Beltizia Gozadina* reperire licet, de qua refert *Hilarion a Costa*, T. I. P. III. de *elogiis et vita Regum Principumque*, p. 522, eam, tertio et uicesimo aetatis anno, nomine Doctoris insignitam publice fuisse: ut et de *Isabella Losa*, quae notante eodem *Hilarione*, ad Doctoris gradum in Theologia fuit euecta. Nam, praeterquam quod non recepti in Germania moris hoc sit, pugnat illud etiam cum uerecundia feminarum, quae ipsas commonet, domi ut sese contineant, et, honeste tamen, latere praeoptent. Habeant igitur sibi perquam commendatissimum monitum illud *Iustiniani Imperatoris l. ult. Cod. de Recept. arbitr.* Foeminae suae pudicitiae



memores, et operum quae eis natura permisit, a quibus eas  
 iussit abstinere, abstineant. Vid. hac de re, *Magnif.*  
*D. Mayerus dissertat. de Doctoratu Theol. argum. V. et*  
*Itterus de Gradibus Academicis, p. 217.*

§. VII. Ex hisce igitur patet, promiscue femi-  
 nas esse ad literas non adhibendas, sed illas tantum,  
 quae uti §. 3. diximus, ingenii praestant acumine, nec  
 domesticis inuolutae negotiis, quae item subsidiis, ad rem  
 literariam pertinentibus, copiose sunt instructae. Ne-  
 que uero negari potest, elegantiore hunc sexum, ta-  
 lia saepenumero ingenia sistere orbi literato. Nam  
 quemadmodum inter uiros, obtuso qui praediti sunt  
 ingenio, dantur, ita feminae interdum ui summa inge-  
 nii pollent. Nec temere hoc in dubium uocare licet,  
 cum exempla quam plurima satis illud superque euin-  
 cant. Nos, ut B. L. hac etiam in parte faciamus satis,  
 seriem illi quandam sistemus *Feminarum*, primis sta-  
 tim aetatis annis eruditione et scriptis illustrium, quas  
 aequi ut bonique consulat, etiam atque etiam contem-  
 dimus ab ipso, et oramus.

*Anna Maria CRAMERIA, Magdeburgensis,*  
 primum nobis est producenda. Quae, cum An. 1613 nata  
 esset, ea celeritate in literis profecit, ut non Romanam so-  
 lum, sed Hebraeam quoque, calleret linguam, Musicam item,  
 et Arithmeticam, et Historiam, in componendis quoque uer-  
 sibus praecipue felix, id quod uel ex iis liquet, quos, cum  
 obiisset, (anno nimirum a N. C. 1627. aetatis 14. d. 6 Aug.)  
 reliquit. Accipe B. L. Patris de filia testimonium, *Anna Maria*  
*Crameria, An. MDCXIII. ipsis Calend. Januar. circa horam matu-*  
*rinam quintam nata, puella, ut facie venusta, sic ingenio ad quaevis*  
*studia*



studia felicissimo et promptissimo, ultra sexus foeminei modum. Indeque a teneris unguiculis non tantum in pietatis, sed etiam literarum studium, praesertim in Musica et Arithmetica, optime informata et exercitatisima, Historiae et Poeticae studiosissima, linguis latina et ebraica elegantissime exculta, et sacrarum literarum studiis unica dedita, ut quasi altera Olympia Fulvia Morata ab amicis et familiaribus spe indubitata haberetur. Inopina quidem et immatura Parentibus et amicis, sibimet ipsi vero diu meditata morte in Christo beate et placide, cum magno Parentum luctu exspiravit An. 1627 die 6 Augusti circa horam noctis undecimam.

Angela, Coelii Secundi CVRIONIS, Itali, filia, primis iuventutis suae annis, adeo in literis profecit, ut linguam Italicam, Germanicam, Gallicam et Latinam venuste loqueretur. Dabimus *Epitaphium* eius, quod *Basileae* a Parentibus ipsius honori positum est et consecratum. *Piet. Vir. et Honori D.*

Angelae Curioniae, nobili et generosae puellae, cuius divino ingenio atque industriae nihil difficile unquam visum est, quod ingenuam pudicamque puellam deceret: quae Italice, Germanice, Gallice, venuste loquebatur, latine non ignara: omnis elegantiae decorisque studiosa: candore animi, virginali verecundia, religione in Deum, pietate erga parentes, caritate in fratres sororesque, comitate in omnes insigni fuit.

Coelius Secundus Curio Pater, et Margarita Isacia Mater, Itali, in beatae reparationis spem filiae dulcis. ac Praestantiss. P. P.

Pestilentia ardore triduo consumpta, ad Christum Jesum mira alacritate migravit, aetat. suae anno XVIII. Sal. hum. M. D. LXIV. IV. Non. Aug.

ELISABETHA, quae post *Mariam*, sororem, An. 1558 Angliae constituta Regina est, tantum literis meruit nomen, ut omnibus esset admirationi. Annum nata nondum erat



septimum supra decimum, cum Italice pariter, atque Gallice, faceret uerba. Noui foederis instrumentum, sua legit lingua, Sophoclem, et Isocratis orationem ad Nicocem, et alteram, quae Nicoelis nomen habet, Latine uertit eadem aetate. Vertit etiam sequentibus annis, Boëti de consolatione Philosophiae librum, ut et Horatium de Arte Poetica, et item Sallustium de Bello Jugurthino plurimosque scriptores alios, in linguam Anglicam, non sine ingenti laude omnium et admiratione. Permanfit in coelibatu perpetuo, quamuis, a multis Principibus Europae matrimonium ambirifuum, seque etiam a quibusdam Angliae Proceribus amari, pateretur. Retinuit enim ea re Principes exteros in ueneratione sui et obseruantia, Proceres suos reddebat fideliores, cum certatim in id incumberent, ut Reginae placerent, eiusque uel gratiam, uel amorem, sibi conciliarent. Expirauit tandem An. 1603. aetatis 70. d. 24. Mart. Perscripsit eius uitam nuperrime *Gregorius Leti*, in *Het Leven van Elisabeth Koninginne van Engeland*, Hagae Comit. 1698. 8vo.

*Anna*, celeberrimi *Tanaquilis FABRI*, filia, iure meritoque hoc a nobis recensetur loco. Haec enim ab ineunte adolescentia, literis se dedit, atque in iis summe profecit, ut Eruditissimis *Aetor. Lips. collectoribus*, uere audiat, *sexus sui et seculi ornamentum. Vid. Aet. Erud. Lips. An. M DC LXXXIII. p. 403.* Anno iam proxime elapsi seculi 74, *Florum* edidit, sequenti anno *Callimachum* illustrauit. Nupsit ea anno 1685 *Andreae Dacerio*, Viro itidem erudito. Vid. de illa pluribus, *Funckerum in Centur. feminar. erudit. p. 32. seqq.*

Cassan-



*Cassandra FIDELIS, Veneta*, primis etiam adolescentiae annis literis inclaruit. Epistolas scripsit acutas, et elegantes, dialecticos quoque nodos neclere indissolubiles, explicare ab aliis nunquam soluendos, perita. Philosophiam certe sic tenuit, ut et defenderet acriter quaestiones propositas, et impugnaret uehementer. Orationem eruditam ab ea conscriptam, uidit *Politianus*, qui simul testis est, ipsi nec subito dicendi facultatem defuisse. Vid. *Politiani Epistoll. l. 3. p. 81. edit. Lugdunens. Gryphii An. 1528. in 8vo.* Librum praeterea reliquit *de scientiarum ordine.* Edidit *Epistolas eius, cum uita eiusdem, Jac. Phil. Thomasi- nus, Patanii 1636. 8vo.*

*Henrica Catharina GERSDORFFIA, ex Frisiorum* orta gente, quae optimis utique sequioris sexus ornamentis abundauit. De Nostra uero illa, quid dicere debeam, uix habeo, cum facile omnes superet laudes. Hoc tamen, integra rei ueritate, uere affirmare possum, tanta eam doctrina, tantaque sapientia instructam esse, ut merito prodigium sui sexus habenda sit, et, quod olim de *Christina, Sueciae Regina*, idem de Nostra merito dici possit :

Qui coluisse cupit Phoebum et coluisse Mineruam  
Is colat *Henricam* hanc, Numen utrumque colet.

Scripsit ea, annos nondum XVIII nata, carmina Germanica, mira sane felicitate. Ex Latinis, carmen subiiciam, quod eodem aetatis anno composuit, in coniugium Princ. Sax. et Dan. ne non, B. L. de uena illius, qua primis iam adolescentiae annis praestitit, Poetica tibi clarius constet :

*Purpu-*



*Purpureas Matuta genas, ac plena rosarum*

*Ora, et odoratas exere pulchra comas.*

*Tuque, fores aperi nascentis et alma diei*

*Atria felici sidere pande, Venus.*

*Aut, si nostra sequi, Divae, consulta velitis*

*Sub mare formarum condite grande decus.*

*Pulchrius exoritur sidus.*

*O Musa, at, numero quae praestas una noveno*

*O Charis, at priscis gratior una tribus!*

*Quis digne celebret sublimia pectora, et illa*

*Ingenii atque artis culmina summa Tuae?*

*Tum formae vultusque satis quis cantet honores?*

*Quis speciem dignam Principe, laude vehat?*

*Divinae feriunt iamdudum sidera dotes,*

*Virtutesque eius blandus olympus habet.*

Iungimus summae huic Matri filiam, *Carolam Justina-*  
*nam* GERSDORFFIAM, incomparabilem, Matremque mira  
uirtutis similitudine referentem. Haec enim illustrissimis

procreata Parentibus, nobilitatem generis, nobilitate sua, quam  
literis acquisiuit, plurimum auxit. Linguas, Graecam, Lati-  
nam, Gallicam, exacte callet, quodque mireris, An. iam XVI  
aetatis, tantam sibi comparauerat in diuinioribus etiam literis  
cognitionem, uti non raro difficilimos S. Codicis locos pu-  
blice, adstantibus plurimis atque audientibus, accurate inter-  
pretari, et quaestiones ab aliis de quibusdam Scripturae oracu-  
lis motas, optime resolvere, ualere. Quae, cum nobiscum  
reputamus, non possumus, quin uotum adiungamus, DEVM-  
que ueneremur, ut illustrissimam hanc *Frisiorum* et *Gers-*  
*dorffiorum* gentem, quae tot, tantaque orbis literati lu-  
mina, etiam in sexu molliori donauit, saluam diu  
et incolumem esse iubeat.





















invenietur scientia in mulieribus, sive de intellectum id velint, sive quod verisimilius est, nisi acumine, qua tamen nulla audacior esset hyperbole, convincere erroris ac temerarii a-

XVI.

Illud interim, dum ad ipsum, quanquam admodum exemplorum recensum altera Dissertabit, monendum superest, cum nequidem adque sua arcana mulieres admittere velint suas res, vix esse, cur magnum aut qualemcunque eruditionis apparatus ab iisdem nobis promittat postquam, quam alieno sit animo tota gens Ebraea externa & literatura Graeca Latinaque non verum etiam Philosophia addiscenda, satis super si a Lusitanis, hodie certe, discedas, uti vix inter eruditissimos caetera Judaeos vel primaevae scientiae rudimenta teneat, neminiversato ignotum esse potest; magno quidem versionis ac salutis impedimento & singulari, vino justoque judicio, quo fieri solet, ut quae ipsos latine plerunque scribuntur, (non satis hac ratione instar clausorum Librorum, ut praeter XXIX. n. 12. illis sint, quos nec evolvunt ac legunt, multominus intelligunt aut in animum longo majori suae nationis dedecore, quippe quae olim toti terrarum orbi ad inveniendam disciplinam creta & excolenda eadem praeluxisse non postquam Doctorum est sententia scriptis haud proletoquinimo ab ipsismet Judaeis, quorum aliquis o & disciplinam Paganorum יניחו להם חכמי העברים



a it-  
nge-  
uam  
vide-  
  
rum  
lice-  
egis-  
octo-  
fanæ  
tim,  
Ctri-  
niori  
, &  
sque  
t sa-  
con-  
con-  
, di-  
ersus  
filio)  
o Es.  
gere  
; At  
tiam  
n fe-  
Viro-  
bata;  
tiam  
לקק